



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Friderici Forneri Theologiae Doctoris Canonici Ecclesiae
Collegiatæ diui Stephani Bambergæ, De Temulentia
Malo, Eiusque Remediis, Variis Item Scitu Iucundissimis,
nec non vtilissimis de rebus, quæ in ...**

Förner, Friedrich

Ingolstadii, 1603

Ca. XXXIII. Festi dies agendi sobriè.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45433

*Lib. 1. de
rebus gestis
Alfonsi.*

multo vino madidus occurrens, in publico, vidensq; à Rege notari vinolentiam: *Lac senum est vinum* ô Rex, clamabat; Ebrietatis crimen excusaturus. Contra Rex: *Et tu, quod lac est senū, tuomet vitio vertisti in venenum.* solertissimè notans, senibus etiam vinum nimis affluenter hauustum, obesse.

Quare convenit, vt & hæc ætas iam iam ad occisum vergens, sobrietatem, efficacissimo in iuuentutem exemplo, complectatur.

CAPVT XXXIII.

Festi dies agendi sobriè.

Pestifera inter Germanos, iam dudum viguit consuetudo, vt si vllò alio totius anni die prophano, in festis certè, potationibus impigrè vacent, quasi hi potissimùm Baccho sacri forent, ac dicati. Vt mihi libeat verbis D. Augustini eos compellare. *O quàm plures sunt ex vobis, qui plus tabernam die festo visitant, quàm templum? Prius corpus reficiunt, quàm animam, prius Dæmonem sequuntur, quàm Deum? O fideles, non fideles, quid vobis cum vino? Nunquid vinum factum est, vt deficiatis maledicentes nomen Domini?*

*Ser. 37. ad
fratres in
Eremo,*

*Num. 15.
Pæna violan-
tium
dies festos.*

*Cur festa
ab Ecclesia
instituta.
Lib. 10. de
ciuitat. c. 4.*

Meminerint isti, primùm, velim quod si Deus in veteri Testamento pauperculum hominem, ligna ad victum parandum, die Sabbathi colligentem, illicò lapidari iussit, quale ipsi, vt Sabbathorum violatores magis nefarii, sint olim iudicium subiturum sanè, non inultam ferent hanc à Deo temeritatem.

Recordentur deindè, cur à Deo, cur ab Ecclesia sancta, festi dies instituantur? *Beneficiorum Dei, inquit S. Augustinus, solennitatibus, festis, & diebus statutis dicamus, sacramusq; memoriam, ne volumine temporum, ingrata subrepat obliuio.* De festis quoque in
me-

memoriam sanctorum dicatis, alibi sic loquitur: *Sollemnitates Martyrum exhortationes Martyriorum sunt, ut imitari non pigeat, quod celebrare delectat. Unde nobis sollicitius providendum est, inquit S. Hieronymus, ut solennem diem, non tam ciborum ac potus abundantia, quam spiritus exultatione celebremus; quia valde absurdum est, nimia saturitate velle honorare Martyrem, quem scias Deo placuisse ieiuniis. Ita tibi semper comedendum est, ut cibum & oratio sequatur, & lectio.* Non ergo ad vacandum genio, festa, ex prima institutione tendunt, sed ad seruiendum Deo, ad colendam imprimis pietatem, ad laudandum rerum omnium conditorem optimum, eiq; gratias agendas, quod tam mirabilis fuit in sanctis, quam apparet in cogitatione vite, ac mortis illorum.

Et ipsi Ethnici, festos dies Idolis nuncupatos, sobriè agi voluerunt. *Quid est, rogat Plutarchus, quod venerabilibus, qui est dies Veneri festus, multum vini ex templo Veneris profunditur? Et post pauca respondet: Hoc signum est, diem festum sobriè agi oportere, quod Dii longe magis vini effusione, quàm ingurgitatione gaudeant.*

Facebant itaq; Lurcones, illi, qui festos dies totos, in popinis terunt, atq; tabernis; Et Baccho potius, quàm cultui diuino, ad quem tamen creati sunt, indulgent, Facebant inquam, à nobis, debitas olim atq; condignas, quandoquidem à Magistratu impunè tolerantur, Deo pœnas daturi.

Hic vela contrahenda nobis, ac tertius iste liber, auspice Deo finiendus, Nam cõuiuorum cupedia, quas sequenti apponemus libro, suo nos tantum trahunt nidore, ut ad eas ardentius properemus.

Y s DE

S. Hier. E-
pist. ad Eu-
loch. de
munuscu-
lu ab ea
acceptis.

In Proble-
matib.